



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 110. Consalvus de Corduba supremus exercitus Magister.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1501.

§. CX.

Consalvus de Corduba supremus exercitus Dux.

*Marian.
lib. 27.*

Ergo ambo Reges, quæ animo decreverant, opere exequi satagunt, ac Ferdinandus quidem, cum adhucdum Granatæ ageret, die prima Martii nuntium ad Consalvum ablegat, dato negotio, ut rupta omni mora cum classe sua Messinæ portum intraret, ibidem nova Regis jussa præstolaturus: cum etiam apud suos Consalvus potentia, atque auctoritate emereret, Rex illum suprema, quam primum vacabat, Apuliæ, & Calabriae Ducatum Præfectura donabat, quamvis hæ Provincie necdum Hispanorum armis expugnatae essent. Eodem tempore Rex Catholicus Franciæ, ac Lusitaniæ Reges vehementer stimulabat, ut pro viribus Turcarum conatibus obfisterent, suisque classibus in Orientis maria excurrerent, Venetis opem laturo, ac infidelium progressibus restituro; eodem Lusitaniæ Rex instructissimam suppeditabat classem, cui præerat Joannes de Meneses Tarrocæ Comes; illa tamen nulla adversus hostem victoria insignis reversa est. Ludovicus quoque quasdam naves in Orientem mittebat, quæ sese Venetis jungerent; verum id consilii admodum

modum oscitanter, remissoque studio effectui datum est: prævalebat enim in Gallis occupandi Neapolis Regni sollicitudo, Regis cupiditatem acriter stimulantibus nonnullis Proceribus Neapolitanis, qui vel patria exules, vel aliunde Arragonum familiæ infensi erant.

Sæcul. XV.
A.C. 1501.

§. CXI.

Nemosii Dux supremus Gallici exercitus Præfectus in Italia.

Ceterum Galliarum Rex Ludovicum Armeniacum Nemosii Ducem Gallici exercitus in Italia supremum nominabat Præfectum, elusis Ligniacensis Comitibus, qui copiarum imperium aucupari studebat, quod quidem Nemosius Dux acceptare haud cunctabatur, eo tamen discessum suum longius protrahente, Albinus illum prævenit, ac cum copiis, quas in Longobardia tenebat, procedens, Neapolin versus contendit comitante eum Cajatsio Comite, cum ipse inter eos, qui a Neapolis Regno proscripti erant, nobilitate generis haud infimus esset. Interea Fridericus accepto nuncio, quod Florentini urbis suæ deprædationem declinaturi, Gallis per suas ditiones liberam transeundi copiam concessissent, ad tuendos Regni sui fines exercitum eo conduxit; ibidem
vero

Marian. ut supra.